

natus simulque perpetuus Episcopi: hinc in Canonibus appellatur etiam 'oculus' Episcopi. Igitur habebat ipse proprium tribunal eo quod in eo residebat jurisdictio ordinaria et perpetua; hinc a sententia Archidiaconi appellari poterat ad Episcopum. Ex quibus patet ex duplice capite differre ab officio hodierni Vicarii Generalis; nam a) Vicarius Generalis non est perpetuus, sed officium ejus totum pendet a voluntate Episcopi illum deputantis; b) tribunal Vicarii Generalis censetur idem esse ac tribunal Episcopi; hinc non datur appellatio a sententia Vicarii Generalis ad Episcopum. Verum Archidiaconus non poterat in suo tribunali videre et decernere non nisi causas minores; causæ enim arduæ ad Episcopi tribunal reservabantur: ita in *c. 7. h. t.* Quare sine licentia Episcopi non poterat deponere clericos, ecclesias unire aut dividere; *can. ult. c. 15. q. 7.* Non poterat Archidiaconus videre et decernere causas matrimoniales, nec pariter causas criminales Clericorum, neque causas concubinitatis eorundem, quæ omnes causæ Episcopo reservantur a Tridentino *sess. 24. c. 20. et sess. 25. c. 14. de Ref.* Non poterat Archidiaconus de jure communi sententiam ferre suspensionis interdicti, et excommunicationis *c. 5. h. t.*; secus vero accedente auctoritate Episcopi aut consuetudine *Gloss. in id. c. 5. h. t.* nec tandem jurisdictionem exercere in monasteria etiam non exempta nisi quando id obtinebat ex consuetudine legitime præscripta *c. ult. h. t.*

2º. Archidiaconus curam et diligentiam exercebat super vita et conversatione Clericorum, necnon circa eorundem literariam instructionem, ita ut Episcopo interroganti tenebatur respondere ex scientia propria de idoneitate personarum quæ ad sacros Ordines promoveri desiderabant *capp. 7. et 9. h. t. et cap. un. De Scrutin. in Ordin. fac.* Verum hujusmodi examen circa idoneitatem et scientiam promovendorum ad Ordines Tridentinum reservavit Episcopis *c. 7. sess. 23. de Ref.* in quo statuit: Episcopum examen ordinandorum instituere debere adhibitis etiam secum sacerdotibus sapientibus et prudentibus. Hinc interrogatio proposita Archidiacono in ordinatione ministrorum nihil aliud est hodierno jure, quam pars ecclesiasticæ liturgiæ.

3º. Episcopo impedito, quolibet triennio Archidiaconus erat a jure destinatus ad visitandam totam Diocesim *c. 1. h. t. in fin.* Poterat item Archidiaconus quolibet anno visitare ecclesias sui Archidiaconatus *c. 6. h. t.* Hac tamen in re animadvertendum est ex

Tridentino in *c. 3. sess. 24. de Ref.* immutatam fuisse disciplinam; siquidem Tridentinum statuit ut solummodo in locis in quibus ad est consuetudo possit Archidiaconus sui Archidiaconatus ecclesias quolibet anno visitare, adhibito notario de consensu Episcopi; adjecta tamen obligatione reddendi Episcopo intra mensem rationem peractæ visitationis.

4º. Archidiaconus erat qui de licentia Episcopi immittebat novos Canonicos et Beneficiatos Ecclesiæ in corporalem beneficii possessionem *c. 4. et 7. h. t.* Tandem Archidiaconus erat qui Episcopo ministrare poterat dum solemniter in Ecclesia perageret, quique perlegere poterat Evangelium, et primum locum tenere post Episcopum in Ecclesia.

5. Dignitas hujusmodi Archidiaconorum et magna potestas quam ex jure habebant Archidiaconi causa fuit ut intumescerent quodammodo et ipsis Episcopis molestias crearent. Quare factum est ut ad compescendos abusus Conc. Lateranense IV. speciali dispositione relata in *c. 14. De Off. Jud. Ordin.* concesserit Episcopis facultatem sibi eligendi Vicarium generalem distinctum a persona Archidiaconi. Sensim autem sine sensu factum est etiam ut Archidiaconi alia jura amitterent, et quemadmodum notat *Glos. in c. 2. de Exces. Prælat. v. Consuetudines* inductum est ut officia et jura Archidiaconatus regerentur consuetudine potius locorum quam jure communi. Hinc tandem inductum est ut consuetudine pæne universali Archidiaconatus non amplius dignitas in sensu stricto dici possit, sed solummodo personatus.

TITULUS XXIV.

De officio Archipresbyteri.

1. Archipresbyter, qui et Decanus dicitur, idem est ac princeps presbyterorum, idest primus inter presbyteros eisque imperat in iis quæ sunt sacerdotalis officii, necnon peculiarem habet ministerii sacri administrationem. Si quæraturo vero in quo differant Archipresbyteratus et Archidiaconatus, respondent auctores in eo differre ut Archidiaconus sit Vicarius Episcopi in externa politia et in temporalibus, Archipresbyter in spiritualibus: id est clarius Archidiaconus repræsentat Episcopum præcipue in politia Dioceseos in foro judiciali et in administratione bonorum temporalium Ecclesiæ; Archipresbyter autem in foro pœnitentialem, in admini-

stratione sacramentorum, in celebratione divinorum Officiorum et in correctionibus paterno more et affectu perficiendis.

2. Archipresbyter alius urbanus dicitur, seu etiam civitatis, alius ruralis seu plebanus. Archipresbyter urbanus horis canonicis præstet et celebrationi divinorum officiorum in Cathedrali ecclesia. Immo in istis officiis Episcopi vices supplet, præsertim in solempni celebratione Missarum, et supra cæteris presbyteris curam animarum gerit *capp. 1. et seqq. 1. t.* Ruralis autem Archipresbyter curam gerit pastorem et spiritualem oppidanorum sui ruralis Archipresbyteratus, circumspicit mores aliorum clericorum et parochorum qui in minoribus titulis commorantur. Circa quos Clericos potest Archipresbyter ruralis agere et decernere ea quæ minora, majora vero, licet formam iudicii non requirant, debet deferre ad tribunal Episcopi. Nec potest inobedientes censuris plectere sine Episcopi delegatione. Ita ex *cap. 3. h. t.*

3. Quod vero in *c. 3. De Off. Jud. Ord.* supponitur, Archipresbyterum nempe posse sententiam excommunicationis ferre, intelligi debet, duce Glossa, de potestate, quam Archipresbyter ex consuetudine antiqua privilegio speciali fuerat sortitus. At ex consuetudine generali dicendum est hodierno jure Archipresbyteratum ad personatum reduci. In aliquibus officiis vero Archipresbytero rurali suffectus est Vicarius foraneus, qui aliqualem vigilantiam exercet in disciplinam clericorum et observantiam legum ecclesiasticarum; et quoad jurisdictionem in foro interno Archipresbyteri ministerium exercetur per parochos vel per pœnitentarios.

TITULI XXV., XXVI. ET XXVII.

De officio Primicerii, Sacristæ et Custodis.

Auctores hosce tres titulos cumulant, tum quia minoris momenti hodierno jure sunt, tum quia dispositiones juris facile simul componuntur.

1. Primicerius forsitan ex more antiquo scribendi in tabulis ceratis, idem significare videtur ac primus scriptus in cera et a capite laterculi. Est vero Primicerius qui primus in censu canonicorum inscribitur; quique in Choro prior est in ordine psallentium. Unde etiam dicitur Præcantor aut Cantor. Officium ejus est ut instruat Clericos in cantu et dirigat, servetque disciplinam in psalmodia divini officii et in cantu tempore sacrificii Missæ: *Can. Per-*

lectis § *Ad Primicerium dist. 25.* Officium autem instituendi Clericos in cantu extensum fuit etiam ad docendum eosdem latinum sermonem, atque ad aliquas tradendas disciplinas. Quod officium in Cathedralibus generatim etiam ipsi Primicerio tributum fuit. Hinc appellatus est etiam 'Scholasticus'; qui ex dispositione Conc. Trid. *sess. 23. c. 18. de Ref. circa finem* debet esse doctor vel licentiatatus in s. Theologia aut in Jure canonico. Quare præter prærogativam honoris, Primiceriatatus etiam officium poterat importare. Immo juxta locorum consuetudines, et Constitutiones Capitulorum in aliquibus locis fuit etiam dignitas; communiter vero hodie ceu personatus habetur. Videlicet Primiceriatatus est beneficium cui solummodo adnexa est præeminentia honoris.

2. Secundo loco Sacrista venit, qui etiam dicitur Thesaurarius. Hic curam habet et servat vasa sacra et thesaurum Ecclesiæ. Hanc autem curam exercet dependenter ab Archidiacono *c. 3. De Off. Archidiacon.* Etiam hujusmodi officium ferme disparuit, et nomen quod superest adnexum alicui præbendæ honoris prærogativam solummodo secumfert, idest Sacrista vel Thesaurarius personatum possidet; et officium servandi thesaurum Ecclesiæ uni vel alteri Canonico committitur.

3. Tertio loco venit Custos, de quo loquitur *tit. 27.* qui censetur quasi minister Sacristæ. Ejus officium est pallia et utensilia, nec non vasa aut instrumenta minus pretiosa custodiendi, et insuper parandi quæ ad divinum altaris ministerium necessaria sunt *capp. 1. et 2. h. t.* Hoc etiam officium hodie non amplius adnexum reperitur alicui præbendæ, sed exercetur ab uno vel altero Canonico ad illud explendum electo, vel extraneæ personæ persolvendum committitur. De hisce officiis ergo, quod de dignitatibus diximus, repetendum est, idest servandas esse laudabiles locorum consuetudines.

4. Post Conc. Tridentinum præsertim duo dantur revera officia in Ecclesiis Cathedralibus et in aliquibus etiam Collegiatis insignibus: Officium nempe Canonici Theologi et Pœnitentarii. De primo loquitur Trid. in *sess. 5. de Ref. c. 1.* ubi statuit ut nisi in Ecclesiis esset præbenda adsignata officio Theologi, adsignaretur in perpetuum præbenda proxime vacatura. Theologus vero onus habet explicandi per lectiones sacram scripturam. Ex constanti praxi S. Congr. Conc. receptum est ut Canonicus Theologus pro integra die qua legit sacram scripturam possit a Choro abesse et

suos facere fructus; immo percipere potest etiam distributiones quotidianas. Ita *in causa Tropien.* 7. Maji 1597. Ita *in Mediolan.* 29. Apr. 1593. Ita *in Corien.* 26. Aug. 1848. et aliis omissis in *Perusina* 30. Julii 1859. Excipiuntur tamen distributiones quæ ex voluntate fundatorum solis actu præsentibus Canonicis solvuntur. De Canonico Theologo fusius agimus in *Lib. V. Tit. de Magistris.* Modus vero collationis hujus præbendæ pro Italia et insulis adjacentibus determinatus est in Constitutione Bened. XIII. quæ incipit '*Pastoralis*', et est ut conferatur per concursum.

5. Secundum officium est Canonici Pœnitentiarii de quo loquitur Tridentinum in *c. 8. sess. 24. de Ref.* In hoc loco Conc. statuit ut in qualibet Cathedrali Ecclesia per unionem præbendæ proxime vacaturæ Pœnitentiarius instituatur, qui in Ecclesia confessiones audiat, et interim censeatur Choro præsens. Porro tum præbenda theologalis, tum pœnitentialis, dignitatem aut personatum adnexum non habere censentur, cum nec honoris præeminentiam secumferant ex jure Tridentino, nec jurisdictionem publicam, excepta jurisdictione in foro sacramentali pro Canonico Pœnitentiario. Hinc utraque præbenda officium adnexum habere solummodo censentur.

TITULUS XXVIII.

De officio Vicarii.

1. Vicarius in genere et vi vocis est qui vices alterius gerit: idest qui ministerium alteri competens exercet. Diversa fuit Ecclesiæ disciplina pro temporum varietate. Ope Vicariorum incœperunt Episcopi sibi reservare jura liberæ administrationis independentem a Dignitatibus Capituli, quæ jure proprio sibi vindicabant partem sollicitudinis ecclesiasticæ in Diœcesi. Potuerunt enim Episcopi e dispositione Conc. Lat. IV., uti vidimus personis sibi bene visis officia et administrationem committere. Hinc opportunum reputavimus hac in re totum jus exponere, quod nempe tum in Decretalibus Greg. IX. exhibetur, tum etiam quod sæquioribus sæculis inductum fuit et obtinuit.

2. Vicarius alius est in divinis, alius est jurisdictionis. Primus est qui alterius officium exercet in actibus ministerii sacri et in iis, quæ ad forum internum pertinent. Vicarii autem jurisdictionis sunt qui directe destinantur ad externam politiam regendam et

potestatem directe habent in foro externo. Ad genus Vicariorum in divinis præsertim pertinent Vicarii Curati, seu qui ad curam animarum exercendam designantur nomine alterius. Diximus 'præsertim'; nam etiam dantur Vicarii Episcoporum qui suffraganei vel Episcopi auxiliares vocantur, qui dantur vel ob causam precariam ad tempus, vel ad vitam Episcopi ut ejus loco sacramenta administrent, et functiones sacras in Ecclesia peragant. In titulo sermo est de Vicariis curatis.

3. Vicarius in divinis est vel temporaneus vel perpetuus. Temporaneus qui ad tempus, idest ob causam precariam, vel ad nutum constituentis exercet officium; perpetuus qui Vicariam in titulum habet, et ab ea removeri non potest nisi ob causam in jure expressam. Vicarius jurisdictionis vel est natus, ceu jure Decretalium erat Archidiaconus, vel datus, quem nempe Episcopus, aut is qui jurisdictionem habet quasi-episcopalem, sibi eligit, et constituit, quemque potest pro sua voluntate remove. Vicarius datus vel assumitur in partem ministerii totius Diœcesis, et dicitur Generalis, vel in partem vigilantie alicujus oppidi vel regionis, et dicitur Foraneus. Tandem est etiam Vicarius Capitularis.

4. De Vicariis in divinis vel beneficiis. — Vicarius in divinis ille est, qui in divinis ministeriis et præsertim in cura animarum aut in aliis rebus quæ ad forum internum spectant alterius vices gerit. Hinc Vicarius in divinis potest etiam dari in adimplendo munere Beneficiati, quemadmodum est Coadjutor, qui loco Beneficiati titularis choro adsistit, et reliqua munia beneficii adimplet. Præsertim vero, Vicarius in divinis constituitur ad curam animarum exercendam. De hoc ergo altero Vicario in divinis loquimur præcipue; et in primis quidem de causis ob quas Vicarius in divinis constituitur. 1^a. — Ex juris dispositione cura animarum residere potest penes personam moralem, idest Capitulum aut monasterium aut aliud ecclesiasticarum personarum collegium. Jam vero cum ad rectum regimen animarum 'una Ecclesia unius debeat esse sacerdotis' *c. 15. de Præb. et Dignit.* ne cura in communi existens, a nullo ceu propria efficaciter exerceatur, inductum est, ut vel unus de gremio, vel extraneus assumatur, qui relicta cura habituali in persona morali, curam animarum actu adimpleat. — 2^a. Causa est si officium curæ animarum spectat ad Episcopum, qui sibi reservavit administrationem alicujus Parœciæ, vel si cura spectet ad Abbatem Monasterii qui regimen Monasterii ipsius teneat.